

defficientes autem addit, mediocritate convalescentem corroborans. Non igitur medici, verum naturae opus hoc est, quae alimentum in laudabilem humorem mutat, & utiliter illos corroborat.

§. 53. Revalescentiam igitur naturae permittens fed^o cum victu, qui morbo & temperamento revalescentis convenit, non abs re facio. Illa enim aegrotantes corroborare novit; non vero medicus medicamentis: ejus enim officium saltem est causas tollere ablatione et additione eorum quae oportet, non autem aegrotantibus vires inspirare. Ut nec recidivas morborum impedire medicamentis corroborantibus, in sua potestate est (§. 17.), uti multis ob ignorantiam putatur, nisi victu & medicamentis, quae causas morborum radicitus exstirpare valent (§. 44.), si possibile sit; nam plerumque impossibile est; cum imbecillitas aegrotantis obstaculo sit (§. 50.). Natura autem facilius id efficere valet (§. 50.), si etiam victus adsit, attamen is qui morbo convenit; uti demonstratum est, atque experientia etiam confirmat.